

8100
190

Library of the Museum

OF

COMPARATIVE ZOÖLOGY,

AT HARVARD COLLEGE, CAMBRIDGE, MASS.

Founded by private subscription, in 1861.

DR. L. DE KONINCK'S LIBRARY.

No. 1792.

By Reinhardt 65th St X
#

F. E. B. M. D.
OBSERVATIO
MEDICA CVRIOSA
DE
EXCRETIONE
VERMIS
NVNQVAM ANTEA EXCRETI.

Anno MDCCXX. die xii. Maji.

WOLFFENBUTTELÆ,
M DCC XXII

LIBRARY
OF THE
MEDICAL DEPARTMENT
OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO

DR.
EXPERIMENTAL
VERMIS

IN THE
LABORATORY OF
DR. J. H. H. H. H.

CHICAGO, ILL., U.S.A.



OBSERVATIO
 MEDICA CVRIOSAS
 DE
 EXCRETIONE VERMIS
 NVNQVAM ANTEA EXCRETI.

CIRCEN, Solis & Perfes Nymphæ
 filiam, & Aëtæ Colchorum Regis sororem,
 veneficiorum peritissimam multis retro
 seculis exstitisse, & adhuc temporis pulcram suam
 atque generosam prolem, cacodæmonis intelligimus
 mancipia, in hoc mundo reliquisse, nemo sane teme-
 re inficias ire conabitur. Affirmare quidem non au-
 demus, ac si tales relictæ Circes sorores non aliter, ac
 ipsa olim, ad se venientes homines carminibus ac ve-
 neficiis suis in omnis generis bruta commutare pos-
 sent, quod nunquam credemus, nec de Solis filia id
 nobis sensu adeo crudo persuaderi patiemur; interim
 tamen multis modis nocere, proximoque damnum,
 interdum periculosum satis atque lethiferum inferre
 haud ignorant. Sunt quidem complures, qui exi-
 stentiam sagarum veneficarumque plane pro mero
 commento & anili fabella habent, & quæ de stupen-
 dis

dis admirandisque earum factis haud infrequenter memorantur, vel memoriæ prodita literarumque monumentis consignata existunt, futiles esse fabulas atque pura puta nugamenta pronunciare non erubescunt, quorum magnum ex Medicis & Philosophis afferre possemus catalogum, si id opus esse putaremus; existentiam tamen ejusmodi infamatorum hominum satis probant non varia tantum in sacro passim codice veteris & novi Testamenti, sed profanorum etiam fide dignissimorum virorum scriptis extantia exempla; Præterea quoque opera, quæ ab ejusmodi incantatoribus perpetrantur, nulla vi naturali, v. g. solo afflatu pediculos in aliis procreare, uti historiæ hoc testantur, peragi possunt. Liceat nobis verba celeberrimi Hallensium Æsculapii, Friderici Hoffmanni, Medicinæ rationalis restauratoris felicissimi, nostra facere, quæ continentur in dissertatione ejus de potentia diaboli in corpora, quæ Halæ Saxonium 1703 prodiit & quidem in præloquio: *Verum enim vero* (loquitur ibi contra eos, qui plane nihil potentiæ diaboli adscribunt & ejus operationes in corpora plane inficias ire volunt) *his breviter reponimus; cum ad veritatem facti vel duo aut tres testes si le digni per consensum omnium populorum sufficient, equidem non video, cur pertinaciter ea negare velimus, quæ omni hominum ætate ab omnibus populis atque locis variis & diversis seculis & non tantum a Theologis, sed*
Philo-

Philosophis, Medicis fide dignis, peritis, prudentibus observata & magna circumstantiarum convenientia consignata, in sacro postea codice confirmata & tot magistratum legibus, confessionibus, judiciis stabilita leguntur, certe in rebus facti solis autoritatibus est nitendum &c. Sed quid opus habemus longa serie veneficarum existentiam probare, cum id ante nos ingens Medicorum & Philosophorum fide dignorum cohors satis luculenter jam ad oculum monstraverit, nos potius accingimus ad recensendum casum, quem rubrica indicavit, quique nobis in praxi nostra die XII^{mo} Maji Anni M DCC XX^{mi} obvius factus. Duæ mulieres, quarum mariti armentorum ministri, per triduum semper matutino tempore contentionis ferram inter se reciprocabant de non prius mulgendo pecore, utraque enim harum vaccam habebat, & utraque de altera quoq; suspicionem alebat, quod, antequam altera veniret, alterutra dolis se deluderet, suoque lacte defraudaret; proxima ad stabulum, in quo armenta perstabant, cum quarto die mane lecto surgere & more solito vaccæ suæ lac mulgendo tollere, antequam nempe altera veniret, vellet, præ totius corporis cruciatibus doloribusque immanibus nec pedem nec manum loco movere poterat; altera interim, emulsa sua vacca, hanc adiit, dicens: Visne tuam vaccam emulgere, maritus meus in procinctu stat pabulatum pellere armenta? Sed hæc vix ac ne

vix quidem respondere poterat, quod dolores hoc non permittebant. Symptomata de momento in momentum, de hora in horam augebantur per bidduum, ita, ut tandem, cum omnes eam jam morti proximam putarent, omnesque etiam aliquid magici subesse olfacerent, quædam ex adstantibus consilium daret de recipiendo remedio certo antivenefico: jubet nempe assumere foetentem ex Syria Assam, Gummi-resinam ex Tithymalo Persico foetido sarmentoso, quæ Germanis vocari solet *Teuffels-Dreck* / cum anatica portione scybalorum alvinorum priorum; hocce medicamentum euporiston seu facile parabile fore egregium antimagicum & in omnibus morbis contra fascino non satis commendandum. Mortem cane pejus & angue fugiens ægrota se cogit nolens volens ad inglutendum hocce stercorarium (forsan ex stercoraria pharmacìa Dn. D. Paullini desumptum?) nauscosissimum, quo nec ipse Diabolus pejus excogitare potuisset. Hoc assumpto dolorum faces accenduntur adhuc magis; dolores per omnes artus vagantur morsicantes; clamores edit continuo per totam viciniam qui audiebantur, donec subsequenti die hora a meridie secunda insectum, corpus cui prorsus nigrum & politum erat, cornua duo oblonga, vel ut naturalis historiæ commentatores vocant, antennæ in capite duæ assurgebant, sex pedibus ex materia crustacea, locustarum vel scarabæorum pedibus

pedibus non adeo dissimili, instructum, (figuram cujus æque ac magnitudinem adjecta tabula ænea representat exactissime Num. III.) quod alias in annis quercubus haud infrequenter reperitur, (1.) per guttur inferius excernit & ejicit, quod insectum excretionem inter sæpissime ejulante quasi voce clamavit: pip! pip! Hoc excreto dolores statim remittunt, cruciatus acumina & lampades morbi confestim extinguuntur, & affecta, lecto derelicto, insectum illud scatula lignea inclusum ad nos afferebat, quod, quoties aperiebamus scatulam, exitum vi ex hac affectabat; erat enim satis agile. Affudimus aquam simplicem frigidam, ut suffocaretur, quam cum sentiret, reiterabat vocem quatuor vicibus clamantem pip! pip! & inter convulsiones pedumque contracturas vitam in aqua amisit. Postea cum forsan in hortum quendam nos conferremus, invenimus

femi-

Nota I.

Hocce insectum Physicis vocatur ἀγόνερον, τραγόνερον, κεράμβηλον vel κεράμβυξ, Capricornus vel Cerambyx, Золотобок; colore & magnitudine aliud insectum, quod Platyceroten vocant, refert; Caput ei est latiusculum, oculi bovini & grandes; os habet forcipatum & hians, aduncis duobus dentibus durissimis horrendum, quibus dum ligna rodit argutulum porcellorum grunitum diserte exprimit. Pedibus sex instructum, sed languidis, quibus auxilium ferunt cornua duo supra oculos nascentia, toto corpore longiora, novem decemve, imo pluribus articulis flexibilia, non exacte teretia, in ædibus vivit & lignis aridis &c. vide Mousetti theatrum insectorum pag. 149. &c.

foeminam illam, de pacto cum malo genio suspectam, loquentem cum duabus aliis sequioris sexus personis, quæ ei totam paulo ante actam historiam excretionis illius miraculosi vermis vel scarabæi (II.) narabant, per quam narrationem tota ejus facies expallescebat; una ex modo dictis ex nobis quærebat, quid agat quidque faciat dæmoniacus ille vermis? quid faciendum cum illo, vel quid factum sit cum hoc nefando animalculo? Respondebamus: nos affudisse aquam frigidam, & id dixisse insectum, non aliter ac inter excernendum, clamante voce: pip! pip! Hæc dæmoniaca statim regerebat: Si ei adpersissetis lac dulce, vermis non vociferatus fuisset pip! pip! (quis scire potest, quid adhuc amplius in ægrotæ corpore detinetur?) Hoc inaudito, valde dolebamus, nos id jam aqua suffocatum animalculum non amplius vivum habere, ad videndum, qualem forsan comœdiam fuisset lusurum, si ei dedissemus lac dulce bubulum. Vesperascente cœlo mortuum animal vitro indi-

Nota II.

Observationes de Scarabæis excretis rarissimæ sunt; L. Christoph. Hellwius casum habet de Scarabæo seu ceryo volante in capite armato, quem vide in casibus & observat. ejus medicinalibus, anatomicis, chymicis, chirurgicis & physicis p. 100. it. Dominicus Panarollus Jatrologismorum seu Observationum Pentecoste quarta, Observ. XXIX. Historiam de verme nigro, squammoso, cornuto, cauda bifida per excreatum expulso, cujus ortum credit ex humore melancholico corrupto, p. 128.

indidimus, ut pristinae per noctem restitueretur sic-
citati, animus nobis erat, id altero instanti mane spi-
ritu quodam balsamare & a corruptione & putre-
dine vindicare. Sed cum lectum altero mane dere-
linqueremus, sensim sensimque insectum pedem u-
num post alterum movere, horaque una vix elapsa
totum vivere incipiebat nobis non cogitantibus;
huncce tamen novum Virbium gaudentibus & ad-
mirantibus. Statim accersi jussimus lac dulce & af-
fundimus, sed non aliter ac pridie vocem: pip! pip!
canebat aliquotque vicibus repetebat, & semihora
elapsa secunda vice morte in lacte opprimebatur.
Loto animalculo addidimus spiritum vini philoso-
phicum ad modum & methodum Dn: Doct: Herm:
Frid: Teichmeyer, viri ad gloriam Medicorum Ger-
maniae nati, Dn. praëptoris nostri parentis ad in-
star, aut si quid ulterius est, pietatis æternum deven-
randi, paratum qua balsamatione humida adhuc
gaudet. Fœmina quidem excreto verme statim se
melius habere incipiebat, altero tamen mane recru-
descebant dolores, orthostadía nihiloscus manebat,
& ipsamet a nobis, ut aliquid medicamenti porrigere-
mus, petebat; plures adhuc forsan latere vermes suspi-
cabamur, dedimus hinc anthelmintica, nempe Æthio-
pem mineralem, Muscum marinum lapideum sal-
sum, qui officinis Corallina, Corallen- oder Meer-
Moos audit, & vermes necat & expellit, si quid aliud.

ad expellendos restantes adhuc vermes horumque ovula ac seminia, sine ullo tamen effectu; sed dicta propinata remedia cum aliis mixta per istum diem nullam prorsus exerebant efficaciam, nocte autem insequente vomitum excitabant, per quem insectum priori exacte simile egerebatur, quod tamen statim saltando salvavit vitam, nullibique deinceps reperiri potuit, licet maritus & uxor aditans id sollicite per omnes domicilii angulos sine mora quæsierint, ad nos deportaturi; creduntur autem a plebejis hujus loci, ejusmodi servæ diabolicæ id, quod per antimagica ex corpore quodam expelleretur, statim ex improvise alteri corpori communicare atque insinuare. Nunc ægra per Dei gratiam summam pristina fruitur sanitate, cane pejus & angue dictamque suspectam fugit.

Si adpersissetis ei lac dulce &c. Hic sermo pessime explicabatur ab omnibus iis, quibus foemina illæ, in horto cum vetula illa loquuta, id de lacte bubulo colloquium retulerant; ex hoc enim solo colloquio eam veneficam esse colligere volebant, quia ex unguibus æstimamus leonem; sed vetula ista astuta & callida statim, suo ut sermoni pallium circumvestiret, dicebat; se vidisse aliquando in pago, cujus nomen reticebat, quod servus quidam pulcem spissam ex farina cum aqua paratam, Meel oder Bren-Mues / quod cibi genus rusticis frequenter in usu esse

se solet, valde deperiens, rusticam quandam sapius, ut id cibi sibi daret, rogaverit, suam enim heram nunquam hunc cibum parare; quæ rustica etiam aliquando hoc alimentum præparavit, & ut ei ad comedendum porrigeret, adiit domum servi, sed servus eo tempore peregre profectus erat, interim tamen ejus hera rogat rusticam, ut hunc cibum farinaceum modo relinqueret, se servo suo velle recte tradere, quamprimum saltim suos lares resalutasset, sed rustica nolebat, hera autem magis magisque instabat, donec tandem reliquerit. Servi hera pultem posuit, in cella, quæ altero mane tota tota vermibus scatebat; consumpta pulte a vermibus, insecta referentibus, quæ caseum alias permeare solent, *Germ: Käse = Maden/* languere incipiebant. Hera hocce videns, nunquam alias visum phenomenon miratur, aliisque in pago retulit. Vetula quædam statim se sermoni immiscens suavit, ut eis daret lac dulce, quod etiam factum, quo quasi saginati sunt. Hoc vero a verminosa prole etiam consumpto, retulit hoc, quod evenerat, vetulæ, quæ antea consilium de affundendo lacte dederat, quæ regerebat, ut iis nunc etiam una vice daret lixivium causticum, quod saponis factoribus ad conficiendum saponem in usu esset, vel si hoc non præsto esset ad manus, ut saltim fila cruda, *Germ: Garn/* aquâ per aliquot horas coqueret, & hancce tincturam atro-viridem verminoso gregi ad bibendum

porrigeret ; qua vero gustata momento citius vita relicta morti tota vermium cohors est tradita. Rustica , quæ pulvem seruo in donum dare voluerat, hancce inaudiens historiam, quæ acciderat cum cibo illo farinaceo, confestim volam pedis ostendens pagum reliquit & nunquam rediit. Parallelam huic historiam monumentis consignatam reliquit *Salmuthus*, quam hic de eo exscribere non pigebit. *Vbi* *Juuenis a puella pomum acceperat, quod cum valde suspectum videretur, projecit in angulum, rediens post tri-
dium, deprehendit pomum nigro colore obductum, elapsis iterum tribus diebus vidit pomum putrefactum ranulas aliaque animalcula minuta genuisse, hinc abiens in diversorium, ubi pomum acceperat, simulavit morbum, conquestus de dolore ventris ; puella ea re cognita iussit lac calidum bibere, quod ille affudit pomo putrefacto, & intra spatium aliquot horarum vidit excrevisse ranas ; reversus denuo in diversorium de vehementissimis conquestus doloribus summam simulavit anxietatem ; accessit iterum puella, atque ut biberet urinam equinam recens redditam monuit, quam ille rejecit in ranulas, quæ confestim extinctæ fuerunt.*

Quæstio autem nunc oritur : *An mancipia diaboli vermes & insecta producere & creare possint ?* Quod tamen non credimus, nec nobis facile persuaderi patimur, cum creationem insectorum, uti & omnium rerum naturalium, reservatam putamus esse

foli divinæ Majestati, & nunquam diabolo tanta fuit potentia de novo procreandi insecta, vel minimum quid; objicere facile aliquis poterit *Serpentes, de quibus sacer Historiographus Moses Exod. VII. v. II. 12. & 13. mentionem injecit, qui ex scipionibus a Magis Ægyptiacis sunt producti, quique postea a serpente Aronis omnes sunt deglutiti, fuisse producta magica; Sed hæc objectio jam dudum ventilata & refutata existit a Vierio Lib. II. de præstigiis Dæmonum Cap. VIII. & excell. Dn. Doct. Frider. Hoffmanno in jam semel a nobis citata Dissertat. de Potentia diaboli in corpora, quod nempe hæc serpentum productio fuerit tantum imaginaria; vid. etiam Dan. Fischeri tentamen pneumatologico-physicum de Mancipiis diaboli, seu sagis, quod Wuttembergæ 1716. prodit, pag. 19 20.*

Ulterius quæritur: *Quomodo, cum diabolus ejusque fideles insecta generare haud callent, tamen ista ab eis corporibus insinuentur? Ad hoc respondere poterimus: Mancipia diaboli ipseque diabolus insecta de loco in locum ferre, non aliter ac alias res, uti v. g. historix exstant de lacte, butyro, quod vulgo Heren-Butter appellant, pecunia &c. furto aliis surripere, aliisque donare posse: sic & cum insectis fieri quis facile negabit? Uni loco auferre insecta, alii iterum communicare callent. Observationes & historix his de rebus conscriptæ fide sunt dignissimæ, modum tamen omnes reticent talium concin-*


natores, quem nec nos callemus, nec callere avemus. Non semper tamen statim adscribenda sunt insecta, quando, quæ vel *αἴω* vel *καῖτω* egeruntur, magiæ diabolicæ, cum haud infrequenter naturales tubesse possint causæ, innumeræ etiam prostent observationes de excretionibus insectorum, quæ vel ipsa vel quoque horundem semina cum cibis sunt ingesta & inglutita, per calorem corporis nostri viscerum exclusæ, & per tempus quoddam salva sua textura in corporis cavitatibus nutrita & quasi faginata. Ex infinitis, ut hancce thesin clariorem reddere possimus, unam tantum, de qua nobis constat, adducere placet historiam: *Nobilis quidam, venationi deditus, cum aliquando præ lassitudine dormiens hians forsan ore, in sylva quadam decumberet, lacerta quadam ori ejus irrepsit; somno relicto dolorem statim sentit in regione ventriculi morsicantem, qui de die in diem ingravescit; varia igitur a variis adhibita sunt remedia, sed omnia incassum, per semiannum, & quod excurrit, huncce dolorem tolerare cogitur, discipulus tamen Diana diligentissimus venationem, quam deperibat, non negligebat; in sylva cum valde sitiret, adibat tugurium rusticæ cujusdam, & ut modicam potiunculam sibi daret, postulabat, quæ vero præter cerevisiam secundariam, cui origanum indiderat, nihil dare potis fuit, quam, ut fauces aridas madefaceret, imbibit. Venationem postea iterum prosequitur, semihora vix prætergressa evomebat*
quin-

quinque lacertas, quarum una reliquas quatuor magnitudine excedebat. Nobilis hocce videns, miratur, vertit pedem, & adit pagum, ubi acceperat cerevisiam illam secundariam lacertas pellentem, auditurus & visurus, quem potum sibi dedisset rustica illa fœmina? Quæ vero, se ei nihil impuri dedisse, puram videlicet cerevisiam secundariam cum Origano (III.) coctam, asseverabat. Satis postea nunquam deprædicare poterat hancce herbam, semperque suo potui admisceri jubebat, recteque iterum valebat. Sed finem faciamus, odimus profanum veneficorum veneficarumque vulgus, & ab eorum sacris omnes bonos arceri velimus.


Nota III.


Origanum vulgare & sylvestre, est planta flore perfecto simplici irregulari monopetalo, seminibus nudis quaternis gaudens, quæ incidendi alias, extenuandi, exsiccandi, calefaciendi, facultatem obtinet, Germ. *Dosten* oder *Wohlgemuth*.


FINIS.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1207 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
TEL: 773-936-3000
WWW.CHICAGO.EDU







DO NOT CIRCULATE

